Cui magistrorum non charissimus fuit? Post tibi puerilium studiorum curriculum hic apud nos complevit: missus es Heidelbergam, inde Genevam. ibi linguis sacrisq; litteris intentus ne vidit quidem vuentis mundi contagia. Cum redijsset coelestis doctrinæ divitijs instructus: vocatus es ad docendum. Edidit specimen scientiæ et virtutis, declaravit fidem suam confessione et recte factis. Talibus studijs intentum, in his desudantem mors subduxit. Moriatur anima mea morte justorum. Prolixiorem me fecit spectati adolescentis jucundissima recordatio. Vale. Parentes saluta cum amicis omnib. die quo Tibi sunt infantes. 1.5.7.4. Bremæ.

Molanus.

Nr. 240 ] [Schröder, Richard]

Gerardo Brudero discipulo Hasterensi.

[= Mscr. a. 12 = Nr. 226]

Par Christi.

Quam tu meritò deploras rerum Academiæ istius perturbationem studiosè adolescens: eandem sera posteritas iustissimis querimonijs persequetur. sed hæc est fati cuiusdam inclinata necessitas, quam sanè mirari quis posit laudatissimis Astrologis nuper cum multa de insolita quadã stella, non temerè diuinarent: in mentem non venisse. nec enim vel scholæ istius convulsio. vel doctissimorum hominum ruina, si fas est hoc verbo vti, lemoribus in malis haberi debent: quam fames, quam pestis, quam bella, et vastationes gentium, quæ talibus portentis significari non temerè creduntur. Deus namq est, quæ facit hæc omnia, Ipse est qui Scholarum greges benignè colligit, eosq; deindè iratus flagitijs dissipat ac dispergit. Nosti illud in Psalmo. Quare dissipasti sepem eius? vt ab omnibus carperetur prætereuntibus. Frustra crudelem vocamus Principem, perfidiosum Flaccum, imperiosas Heroinas: ἀλλ' ἁμαρτίαι ἡμῶν, ἀπέσβασαν τὰ ἀγαθὰ ἀφ' ἡμῶν. Tibi interea gratulor, quod hæc damna esse intelligas, quæ in magno lucro a plerisq; numerantur. Quanquam illud non gaudeo quod in hunc deformem Academiæ nuper florentissimæ statum infeliciter incidisti. Vellem Heidelbergæ esses, aut apud Bezam: Sed sparsam nactus es, hanc orna. Habes ipsthic Joannem Burenium, quem fama est in Theologiæ studio laudabiles progressus fecisse. Ad ipsum quod potes te adiungito, non solum vt eandem viam ineas: sed multò magis, vt duobus simul euntibus vtriusq; contentio, alterius consilio iuuetur, et augeatur exemplo. Nam ad me quod attinet, fortasse puerilium studiorum non aspernandus moderator semper fui: sed altioribus autem disciplinis, quem cursum nostri teneant, quandò iam inter eximios, omnis doctrinæ principes versantur, non admodum soleo laborare. In siluam quis ligna? Equidem dicendi artibus impeditus, Theologiæ non nisi animæ causa operam vnquam dedi: vos qui huic omninò destinati studio dediti estis, operosius hanc telam exordiri, et perterere debetis, quam ego cogitare possim. Suadere tamen non dubitem quia meæ sententiæ particeps esse voluisti. Etiam nunc tibi in Dialecticis et Rhetoricis studijs aliquid operæ diligentiaq; ponendum, non modo propter controuersias quæ frequentes sunt inter Theologos: sed quia exactam harum artium cognitionem tum lectionis intelligentia, tum etiam recta et perspicua scripturæ interpretatio requirit. Apostolus Episcopum vult esse διδακτικὸν δεινὸν ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Tibi cum ipsthoc ingenio, tam benè iactis fundamentis, tantus vsus Græcæ linguæ comparandus, vt Græcos Theologos tam pronum sit intelligendo consequi quam Latinos. Ebrea quoq; lingua degustanda est, cuius saltem mediocrem cognitionem qui non sit assecutus, is in huius ætatis Theologis suum nomen profiteri non potest. His omnibus peragendis, si modò res fert, da biennium, sic vt in scripturis sacris nihil fere legas præter nouum testamentum, donec linguarum artiumq; artium quas dixi, scientiam mediocrem compararis. Illius germanam scientiam vt penitus intelligas, adhibe non operosos commentarios, neq; prolixa dictantium dictata: sed illam ipsam lucem artium quarum naturalem vsum partim Petrus Ramus te docuit, partim ipse in Theodori Bezæ, in epistolas Canonicas, annotaciunculis obseruasti. Noui testamenti solidam intelligentiam adeptus, præcipuas Pauli Apost. disputationes ad verbum edisces. Hæ sunt quasi diuini furis institutiones, quibus instructus totum sacrarũ litterarum corpus deinceps complecti facilius poteris, et quoquo te vertas, velut in clarissima lure versari. Hæc ardua molienti, octauo quoque die Theologicum aliquod thema non tam prolixè: quam ad amussim, stylo persequi pro Sacramento erit.

Tertio demum anno ad vetus testamentum studiose legendum accedes, ibi quoq; prima cura sit, vt genuinam . izz.
scripturæ sententiam cognoscas, collata versione puriore potius, quam longis glosis, quas equidem non
contemno: sed peregrinantem argento spoliant, et primos annos sacris scriptis legendis debitos, impru-
dentibus subducunt. Quoniam autem per historias sacras, per Mosen, psalmos, et Prophetas, doctrina
latissimè diffusa est, quæcunq; vel ad Deum vel ad homines pertinent, quæ modo sunt eximia: referri debent
ad tabulas locorum communium, tanquam fidelissimas omnium studiorum tuorum custodes. Narrationes
admirabiles summatim amorandæ, et summatim discendæ sunt: Sententiæ non in tabellis modo, sed etiam
in animi medullis inscribi debent, vt si quando de parte aliqua doctrinæ dicendum sit, neq; detur spatium
ad cogitandum, paruo labore vel ex tuis tabulis, vel ex thesauro cordis satis instructus venias ad bene
et prudenter disserendum. Eam promptitudinem affert liberi ingenio, partim optimarum rerum quas leges,
fidelis & accurata perceptio: partim pertinax illa consuetudo styli in materijs theologicis exercendi. Quæ
nisi studijs tuis perpetua adsit quasi Magistra: pleraque illa quæ legendo, audiendoq; fueris consequutus,
dictum ac factum exaresces. Totum hunc annum tertium cum iam perlustrandis Bibliorum præcipuis
partibus laboriosè consumpseris πόνου γὰρ χωρὶς οὐδὲν ἐυτυχεῖ. si res, tempusq; suppetent; leges
Theologorum commentarios, veteres, nouos, græcos, et Latinos, sed hac lege, vt subinde ad sacros libros
(in quibus verè domi sumus) redeas: neq; quoquam mentis oculos dimoueas, ab illis (quas dixi) Aposto-
licis institutionibus, nihil in animam admisturus, quod abillis dissentiat, vel in ipsa doctrina, vel in sapi-
endi, dicendiq; ratione. Sed iam (vt vides) repi monitor esse, quod non intenderam. Et breuiter consilij
mei participem facturus: in præceptiunculas prolixius excurri. Quibus quidem etsi non magnum inest
operæ pretium: mei tamen erga te fauoris et studij obsides erunt. Cetera melius ipse dispicies, qui ad
preces assiduas, et feruentes assuefactus a puero, in ista certaminum multitudine, et varietate, tibi ipsi
non minus: quam lectioni instabis, multum Iesu Christi præsentia confisus, cuius verbum si quidem (vt
confido) erit in te efficax per fidem, nunquam deerit Lucerna pedibus tuis, non deerit dux et auctor, non
deerunt recta consilia, non exhortationes, non arma quibus ipsius tui sanctissimi, Laudatissimiq; insti-
tuti omnes quamuis formidabiles inimicos et repellere fortiter queas, et profligare. Vale. Buremium
ex me salutabis, vt me intelligat non memorem modo: sed etiam sui peramantem esse. Familia mihi
salua est Dei beneficio. Scholæ cursus idem qui antehac. Peruenimus ad 8 caput Ἀριστοτέλους ἠθικῶν.
qua quidem lectione video nostros auditores incredibiliter delectari. rursus. vale. 14 Januari mane,
ante tubam Scholarem, vigentibus articulis, Bremæ. Anno vltimi temporis. ↄ. ꝑ. Tuis studijs quam lxxv.
optimè consultum cupiens Joannes Molanus.

[Metmanus]
(Ml. petro Metmanno Coll. Lindano.
Ms 241)

Pax Christi.

Clarissimè Domine Consul: est apud ingeniosissimum Poëtam plenus humanitatis versiculus, Regina profugos
Trõas vrbe domoq; sociantis: Non ignara mali, miseris succurrere disco. Eius consideratio me iam inde ab
adolescentia multis grauibus malis exploratum sic emollijt: vt fratribus afflictis meam opem, aut operam
requirentibus, quoad queam deesse non potim. Nam quæ sit hæc, et quam digna odio durities? si in meis [=Miser.
oppressionibus subinde præsentem opitulantis manum expertus: non properem ipse vicissim alijs laborantibus a. 12:
quamcunque potim opem et studium præstare: Ante annos paucos profugus ex Italia huc sese forte ad me appli- Ms. 227]
cuit, Leodegarius Rychart. homo egens & ignotus. Ei quo ad voluit meum esse, vt peregrinus peregrino
studui benefacere. Cum autem resciscer, esse Emdæ aliquem tetum gallorum: gallus ipse, propter exerci-
tationem pietatis, maluit sese Gallis aggregare. Dedi exiguum viatici modum, cum epistolio; quibus potui
rationibus eum Commelinorum familiæ commendaui. Aliquid ponderis habuit mea commendatio, continuò
enim venientem complexi: nunquam deinde eum fouere desierunt. Ille interea vt gratum hominem decet
sæpe mihi per epistolam gratias egit, et quasi pro parente habuit. Dedit ei Dominus in vestra Reipub.
boni quamplurimum, vxorem, liberos, larem, familiam. amicos, victum et cultum. Alitur tenuiter fortasse, sed
tamen tranquille alitur, pueris linguam gallicam docendis. commutatis cum eo bona vestra. Religionem, leges, rõmũi,, rates rũq
defensionem, macellum. aliasq; commoditates celebris & copiosæ ciuitatis. Valde mihi dolet, eiq; merito
succenseo, si quid isthic ab eo vel dictum sit vel factum, quod vel ipsius erga vos obseruantiæ, vel meo in eum
amori non respondeat. Crede hoc meæ fidei D. Consul venerande, memet iniuria Leodogarius affecit: si
quid aut inscitia, aut animi imporentia, quod ista tua, qua semper peregrinos prosequutus es beneficentia indignũ
est, fecit